UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 550. Vigilii Pap. Annus 11. Ivstiniani Imp. 24. Totilæ Reg. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

Maſſiliam cum aliis eiuſdem prouinciæ locis, acceptis illis conceſſione Gothorum, & ceſſione facta Imperatoris.

V. FRANCI PROPRII CVDVNT ARGENTEOS CVM IMAGINE.

Pergens Procopius ad gloriam inſinuandam Francorum hæc adiicit: *Aureum nummum natiuo & Galliarum metallo hi cudit, nō Romani imperatoris (vt cæteri ſolent) imagine ſed ſua impreſſa. Perſarum ſiquidem Imperator etſi ad arbitrium argenteum numiſma facit, auro tamen non illi fas eſt ſuam vt imponat effigiem, nec barbarorum Princeps alius quiſquam id ſaperat aſſe. Sed de his hactenus: Franci interea pleraque ſibi & nulla vi in Venetos occupant loca, cum nec Romani ea tueri iam poſſint, nec Gothis tantum virium eſſet, vt his vtriſque bellum inferrent:* hæc Procopius de ſtatu Occidentalis Imperij.

VI. CONIVRATIO IN IVSTINIANVM.

Sed & hoc pariter anno accidiſſe tradit, vt Artabanes, qui Gontharidem tyrannum occidiſſet in Africa, cum Arſace cognato ſuo atque aliis nonnullis proceribus aduerſus ipſum Iuſtinianum Imperatorem conſpirauerit: & niſi moliciones detectæ fuiſſent, plane de ipſius Iuſtiniani vita atque Imperio actum eſſet. Deſcribit hæc pluribus ipſe Procopius, ſed nihil ad inſtitutum.

VII. a Procop. de bello Goth. lib. 3. IVSTINIANVS DOGMATIBVS ECCLESIASTICIS VACABAT.

Illud vero ſatis admiratione dignum, quod licet tot tantiſque malis, obortis vndique Romanum adeo fluctuaret Imperium Iuſtinianus tamen totus erat in dogmatib. Eccleſiaſticis perſcrutandis. Nam cum de coniuratione Artabanis in Imperatorem Procopius agit, hæc ab Arſace de eo inter alia dicta refert a: *Ad multam noctem hic ſedet, circumſtantibus ſacratis quibuſdam & effœta ætate viris, Chriſtianorum ſcriptis miro ſtudio reuoluendis intentus.* & poſt multa ſubdicit Procopius: *Vigilius autē vrbis Romanæ Præſul cū Italicenſibus aliis & primorib. viris, qui ſecum Byzantij erant, ab Imperatore ſuppliciter & enixius poſtulabant, Italiam omnibus in ſuam vt virib. redigeret poteſtatem: ſed Gothicus præ cæteris maxime vir ſane Patricius ad ipſum in hunc crebro impellere hortarique, vt qui ea de cauſa Byzantium ſe contuliſſet. Imperator vero Italiam ſibi curæ fore reſpondit. Sed circa Chriſtianorum dogmata componenda nimis intentus, eorum altercationes vt recte diſponeret, nitebatur.* hæc Procopius de Imperatoris ſtudiis: quibus dum plus, quam decet Imperatorem, curioſe vacaret, vniuerſum peſſumdedit Imperium.

VIII. CONTRA POLITICOS NOVATORES.

Videant ergo Politici Nouatores, quanta cum iactura, quæ ſunt Pontificum, arrogent ſibi Principes, quamuis ſæculi Iuſtinianus, ex ſacrarum legum præſcripto cunctaſe facere profiteantur. Regum namque eſt de ſacris dogmatibus ex Eccleſiaſtica diſciplina accipere ab Epiſcopis leges, non quouis colore præſcribere, ſed ſancitas ab ipſis ipſorumque maioribus illibatas ſeruare, & pro illis aduerſus hæreticos decertare. Intelligāt illud inſuper vel ex rerum vſu, quanto cum Imperij detrimento, regnandi iuris inani prætextu peccent Principes in ſacerdotes: Recolant Silueriū Papam abductum ab Vrbe eo colore ne proderet ipſam Gothis: quæ illo pereunte, ab iiſdem Gothis iterum capitur, inſuper & Italia ab eodem Imperatore à Gothis antea fortiter vindicata, rurſus amittitur atque vniuerſi demum barbari, velut impellente numine ad cladem Romani conuocantur Imperij. Tanta ſub Iuſtiniano mala Romano Imperio ſunt allata. Sed & parua hæc quodammodo videri poſſent, niſi ipſe grauia intuliſſet in Catholicā Eccleſiam damna Iuſtinianus, dum laborat leges ſacras præſcribere ſacerdotibus, à quibus accipere potius debuiſſet: edicto enim illo de Tribus capitulis promulgato, materiam præparauit, & ignem, quo vniuerſus Catholicus conciſus ſchiſmate conflagraret, appoſuit. Tot igitur tantaque mala ſæculi prudentia (quæ mors eſt) inuexit in mundum, & vſque hodie in ſui perniciem laborare non ceſſat.

Sed iam reliqua ordine temporis proſequamur.

* * *

IESV CHRISTI
Annus 550.

VIGILII PAP. Annus 11. — IVSTINIANI IMP. 24. TOTILÆ REG. 9.

I. QVingenteſimus & quinquageſimus annus Domini, poſt Conſulatum Baſilij nonus, & belli Gothici decimusquintus agitur, Imperij vero Iuſtiniani annus vigeſimus quartus notatur à menſis Aprilis exordio. Quo ipſo anno, menſe Martio Vigilius Papa ad Valentinianum Epiſcopum Tomitanum litteras dedit aduerſus ſchiſmaticos, qui vbicunq; ſcriptis litteris illud vulgarant, ipſū Vigilium Papam Tria damnando capitula, impugnare Chalcedonenſe Concilium. Cum n. eius rei cauſa cōplures haud leuiter perculſi animo reſilirent ex ipſius Vigilii Papæ communione: prudentiores qui eſſent, rem accuratius conſiderandam rati, literas miſerunt ad ipſū Vigilium agentem Conſtantinopoli inter quos fuit Valentinianus Tomitanus in Scythia Epiſcopus Metropolitanus, ad quem Vigilius ita reſcripſit b: (b Extat ad Synodum Quint. Act. 7 & tom. 2 epiſt. Rom. Pont. epiſt. 6. Vigilii.)

Dilectiſſimo fratri Valentiniano Epiſcopo de Tomis prouinciæ Scythiæ Vigilius.

II. VIGILII EPISTOLA AD VALENTINIANVM.

Fraternitatis tuæ relegentes ſcripta, Pontificalem in vobis ſollicitudinem ineſſe gratanter accepimus: quia Prophetica ſibi poſſunt verba competenter aptari quib. ait c. Saluato gregem meū. Oportet ergo charitatem tuam ea quoque Domini noſtri verba ſectari per quæ dixit d: Speculatorem te poſui domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me, & conuocato eos, quos ſcandalizari diuerſis rumoribus rauliſti, inceſſanter hortari, ne per hos forſitan ſeducantur, qui ſub prætextu Catholico, nequiſſimo ſpiritu ſimplicium Chriſtianorum corda fallacia ſua decipere moliuntur & patris ſui diaboli conſuetudinem maligno ſectantes ſpiritu, Eccleſiam ſibi commiſſam diuerſis mendacibus ſcriptis conturbare deſiderant: quibus Apoſtolica lectio congruenter aptatur, dicens e: (c Ezech. 34. d Ezech. 3.)

III. (e Rom. 16)

Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis. & infra: Et per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Veſtra autem obedientia in omni loco diuulgata eſt, quatenus fraternitatis veſtræ adhortatione ſæpe commoniti nulla fideles eorum animos à rectitudine viæ quæ Chriſtus eſt, qui ait f, Ego ſum via veritas, & vita, qualibet maligna annuntiatione ſubmoueant, ſed ſi (quod non oportet) ab aduerſariis conturbati, aliquid (quod Deus auertat) contra fidem factum ſuſpicantur, formident cum manſuetudine, quæ conuenit Chriſtianis Prophetica verba ſollicitanter dicentis g: Interroga patrē tuum, & annuntiabit tibi: ſeniores tuos, & dicent tibi. Et alius Propheta h: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius. (f Ioan. 14. g Deut. 32. h Mala. 2.)

IV. *Et quoniam Beliſarius illuſtris & magnificus vir filius noſter cum his, qui pro actibus tuæ fraternitatis Eccleſia in Conſtantinopoli obſeruant, pari ratione dixiſſe noſcuntur, etiam hoc Dei inimicos fuiſſe mentitos, quod perſonæ Epiſcoporum ibæ atque Theodoriti in noſtro (quod abſit) ſuſſint iudicato damnatæ legant ergo, quæ de cauſa, quæ hic mota eſt, ad fratrem noſtrum, Mennam Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopum ſcribentes, legimur definiſſe: & tunc cognoſcent nihil à nobis. Deo nos cuſtodiente, commiſſum, vel certe diſpoſitum, quod contra fidem prædicationemque venerādarum quatuor Synodorum, quæ pro vna eademque fide definita ſunt idest, Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ primæ, & Chalcedonenſis reperiatur aduerſum aut vnum ex his, qui definitioni ſupraſcriptæ Chalcedonenſis fidei ſubſcripſerunt, ingerat iniuriam: vel quod decreſſorum prædeceſſ rūq; noſtrorum inueniatur (quod abſit) conſtitutis fore contrarium: ſed in omnibus Apoſtolicæ ſedis Præſulum & beatæ recordationis Leonis Papæ & prædicatarum* Synodorum aduerſarios reſiſtiſſe. Fraternitatem autem veſtram credimus non latere, inimicos fidei Chriſtianæ hoc ſemper ſæculari & reprobanda voluntas aſſu-* (* prædictarum.)

tas aſſu-

aſtutia, vt Euangeliſtas quatuor contraria ſibi (quod abſit) dixiſſe monſtrarent: quibus à ſanctis Patribus per Euangeliorum concordiæ libros eſt cæleſti ſapientia contradictum.

V. *Quod nunc quoque ſancti Chalcedonenſis Concilij aduerſarij (inter quos etiam Ruſticum & Sebaſtianum comperimus iſtius auctores ſcandali, quos olim pro meritis ſuis à ſacra communione ſuſpendimus: in quibus nos, ſi non reſipuerint celeriter, fraternitas tua noſcat canonicam ſententiam prolaturos) qui ſub prætextu falſæ defenſiones ſtudent, vt eamdem Synodum contra prædictas tres Synodos dixiſſe (quod abſit) oſtendant. Quibus hæc conantibus, Propheta dicta conſonanter aptantur, dicentis* a *: Vere mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum: verbum Domini noſtri proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis: docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium: vt inique agerent, laborauerunt. Quibus ſi non pœnituerint, veniet Pſalmiſtæ inuocata ſententia, dicentis* b *: Vt deſtruas inimicum & defenſorem.*

a Hier. 8. 9.

b Pſal. 8.

VI. *Credimus enim, Catholicis Eccleſiæ filiis, ea quæ tunc ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Mennam ſcripſimus, id eſt, de blaſphemiis Theodori Mopſueſteni, eiuſque perſona, vel de Epiſtola, quæ ad Marim Perſam ſcripta ab Iba dicitur, & ſcripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem & duodecim capitula ſancti Cyrilli facta ſunt, abunde poſſe ſufficere. Quippe dum in conſtituto noſtro ſuperius deſignato poſſit diligenter agnoſci, quia in ipſa definitione fidei, quam ſancti Chalcedonenſis Concilij ſacerdotes ſecundum præcedentes eam tres alias ſanctas Synodos protulerunt, non aliquid mutauerunt: ſed laudantes omnia, quæ à ſuperioribus acta ſunt, ſancta definitione ſua perpetuo robore firmauerunt. Tamen ſi poſt hæc aliquis (quod non credimus,) dubitare voluerit, hortamur, vt cum tuæ fraternitatis ordinatione ad nos venire feſtinet: quatenus lucida admonitione cognoſcat, omnia, quæ deceſſorum noſtrorum, & antefatarum quatuor Synodorum ſunt de vna eademque fide acta ſcriptaque temporibus, à nobis inuiolabiliter fuiſſe ſeruata.*

VII. *Qua ratione percepta, ſublato (ſicut oportet) de Chriſtianiſſimis animis ſcandalo, pax Deo placita in eius Eccleſia illibata perduret. Hæc quidem fraternitatem tuam credimus adhortandam, ne vlterius prædictorum Ruſtici & Sebaſtiani, aut illorum, qui prauæ eorum præſumptionis probantur eſſe participes, ſcripta ſuſcipiat: ſed & vniuerſos ad tuam pertinentes ordinationem ita moneas, ne vel ipſi à prædictis relegant aliquid deſtinatum, vel falſitati eorum vlterius animum ſuæ credulitatis accommodent. Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Dat. 15. Kal. Aprilis, Imperij domini Iuſtiniani perpetui Auguſti anno vigeſimotertio, poſt Conſulatum Baſilij viri clariſſimi anno nono.* per Iohannem presbyterum & Apocriſarium, & ipſe direxit eam per Maxentium hominem ſuum. hactenus Vigilij Epiſtola ad Valentinianum, cuius mentio fit in litteris Iuſtiniani Imp. recitatis in Quinta Synodo.

VIII. AVRELIANI EPISC. ARELAT. AD VIGILIVM LEGATIO.

At non Oriens tantum, ſed & Occidentalis Eccleſia hoc eodem cõcuſſa eſt terræ motu: cuius rei fidem quoque faciunt legatio miſſa ab Aureliano Epiſcopo Arelatenſi & litteræ datæ Anaſtaſio Conſtantinopolitano ad eundem Vigilium Romanum Pontificem: de hoc enim ipſo quærenti, num videlicet verũ eſſet, aduerſum Chalcedonenſe Concilium aliqua ab ipſo eſſe tentata, quidnam reſcripſerit Vigilius Papa, ipſius quæ extant tunc datæ litteræ docent, quæ ſic ſe habent c:

c Vigil. epiſt. 4. tom. 2. epiſt. Rom. Pont.

Dilectiſſimo fratri Aureliano Epiſcopo Arelatenſi Vigilius.

IX. VIGILII AD AVRELIANUM ARELA. EPISTOLA.

Fraternitatis veſtræ litteras pridie Idus Iulias, Anaſtaſio deferente, ſuſcepimus: & gratias referimus diuinæ clementiæ, quia ſolicitudinem veſtram in fidei cauſa, vel in noſtra opinione perſpicue ſacris relegimus conuenire mandatis, vt digna charitati tuæ verba Dei & conuenienter aptentur, quibus ait: Elegi te ſacerdotem ex omnibus: vt aſcenderes ad altare meum, portes coram me nomen magnum cunctis diebus vitæ tuæ. Neceſſe ergo nobis eſt, charitatis veſtræ ſolicitudinem breui interim (quãtum pro temporis qualitate potuimus) releuare colloquio: quatenus modis omnibus cõſidatis, nihil nos penitus admiſiſſe, quod deceſſorũ noſtrorum conſtitutis, vel ſanctæ, quæ vna eademque eſt, fidei quatuor Synodorum, id eſt, Nicænæ, Cõſtantinopolitanæ, Epheſinæ primæ, atq; Chalcedonenſis, muniatur (quod abſit) eſſe contrarium, aut quod ad perſonarum iniuriam pertineat, quæ definitioni eiuſdem ſanctæ fidei ſubſcripſerunt, vel ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum Cæleſtini, Xyſti, Leonis (aliorumq; præcedentium atque ſequẽtium) definitis reperiatur aduerſum: ſed à nobis omnibus prædictis Synodis vnam venerationem, vnamque fidei credulitatem indubitabiliter exhiberi: & eos, qui omnes ſupraſcriptas quatuor Synodos in rectitudine fidei non ſequuntur, vel vnam ex ipſis, vel omnes in fide deprauant, aut deprauare aut iniuriare, vel repudiare nituntur, abiicimus. Sed & ea, quæ in eiuſdem ſanctæ fidei iniuriam verbo dicta vel reperiuntur ſcripta, anathematizanda, execrandaque iudicauimus, & conſtituimus iudicanda: Simili pœna plectẽtes etiam eos, qui fidem beati Cyrilli, quam ſanctæ recordationis Leo prædeceſſor noſter ad prædeceſſores veſtros aliaſque datis probauit & laudauit ſcriptis, & Chalcedonenſis veneranda S. Synodus legitur protuliſſe, aliorumque Patrum, quos Apoſtolicæ ſedis Præſules ſuſceperunt atque ſecuti ſunt, execranda ſuperbia impiam vocauerunt.

X. *Fraternitas ergo tua, quem Apoſtolicæ ſedis per nos conſtat eſſe Vicarium, vniuerſis Epiſcopis innoteſcat, vt nullis aut falſis ſcriptis, aut mendacibus verbis, aut nunciis qualibet ratione turbentur: ſed potius primi Apoſtolorum (ſicuti conuenit) verba ſequantur, dicentis* d *: Aduerſarius veſter diabolus velut leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Et quod item Doctor Gentium dicit Apoſtolus* e *: Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt: & declinate ab illis: In Domino confidentes, quia (ſicut præfati ſumus) ab Apoſtolis fidem traditam, & à prædictis ſanctis quatuor Conciliis declaratam, & à deceſſoribus noſtris & ab antedictis Patribus prædicatam atque inuiolabiliter cuſtoditam, ſincera voluntate tenuimus, tenemus, venerati ſumus, & veneramur, atque defendimus, & contra eam facientes Apoſtolica auctoritate damnamus.*

d 1. Petr. 5.

e Rom. 16.

XI. *Sed quanta poſſumus per filium noſtrum Anaſtaſium de his, quæ geſta ſunt, breuiter nos indicare neceſſe eſt: & cum nos dominus filius noſter clementiſſimus Imperator ſicut promiſit, Deo, qui cor ipſius tenet, iuuante, reuerti præceperit: hominem, qui vobis ad ſingula ſubtiliter innoteſcat, Deo propitio, deſtinamus. Quod ideo adhuc non fecimus, quia & hiemis aſperitas, & Italiæ, quæ vos non latet, neceſſitas præpediuit: donec ſereniſſimus Princeps, ſicut deſiderat, Domino adiuuante, ipſi ſubueniat. Illud quoque credimus ſperandum, vt quia ſcriptum eſt f: Frater fratrem adiuuans exaltabitur: & ſicut de credentibus in Domino Actuum Apoſtolorum ſcriptura teſtatur g, Quia erat credentibus in Domino cor vnum & anima vna: vt ſit fraternitas veſtra in hac quoque parte ſolicita: & glorioſo filio noſtro Childeberto Regi, quem Chriſtianitatis ſtudio venerationem integram ſedi Apoſtolicæ, cui nos Deus præeſſe voluit, cognouimus exhibere, ſupplicare non deſinas, quatenus in tanta rerum neceſſitate circa Eccleſiam Dei ſolicitudinem (ſicut & confidimus) Chriſtiana deuotione perſoluat: vt quia Gothi cum Rege ſuo in ciuitatem Romanam perhibentur ingreſſi, hoc eis dignetur ſcribere, ne ſe in Eccleſiæ noſtræ præiudicio (quippe velut alienæ legis) immiſceat, & aliquid faciat, aut fieri qualibet ratione permittat, vnde Catholica poſſit Eccleſia perturbari.*

f Prouerb.

g Act. 4.

VOCATVR REX FRANCORVM IN AVXILIVM.

XII. *Dignum enim eſt, & Catholico (ſicut eſt) Regi conueniens, vt fidem & Eccleſiam, in qua Deus illum voluit baptizari, omni debeat virtute defendere. Scriptum eſt enim h: Viuo ego, dicit, Dominus, quia glorificantes me glorificabo. Feſtina ergo, frater chariſſime, vt in ſanctæ fidei ſinceritate perſiſtens, Eccleſiarũ pacem, quæ vel à Deo per meritum ſacerdotij tibi commiſſa eſt, vel à nobis per Apoſtolicam auctoritatem vicaria poteſtate mandatur, competenti ſolicitudine, Deo propitiãte, cuſtodias. & Vicarium te ſedis noſtræ dignis Deo manifeſtes operibus. Deus te conſeruet, frater chariſſime. Dat. 3 Kalend. Maias, Imperij domini noſtri Iuſtiniani perpetui Auguſti anno 24. poſt Conſulatum Baſilij V. C. anno octauo,* * *per hominem, quem Anaſtaſius dixerit.* hactenus Vigilius. Mentio huius Epiſtolæ fit à Iuſtiniano Imperatore in litteris ad Quintam Synodum datis & ibidem recitatis. Porro hic Aurelianus, ad quem Vigilius ſcripſit, claruit ſanctitate, agiturque eius celebritas annua die decima ſexta Iunij. i

h 1. Reg. 2.

* nono

i Martyrol. Rom. eadem

XIII. DE VRBE A GOTHIS ITERVM CAPTA.

Quod autem Vigilius Papa his ad Aurelianum litteris meminit de Vrbe à Gothis capta, rogatque, vt de eius incolumitate apud Childebertum Regem Francorum agat: bene hæc conſentiunt iis, quæ Procopius ſub hoc

eodem

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

eodem anno decimo quinto belli Gothici narrat, nimirum hoc anno rurſus proditione Iſaurorum Vrbem Gothis ceſſiſſe, Romanis cæſis, his exceptis, qui in Eccleſias ſe recepiſſent: quibus cum cæteris abire iuſſis, & iam deſtitutam habitatoribus Vrbem ac deſolatam relinquendi cum Totilas conſilium iniiſſet: quominus id faceret, requiſitos per Aurelianum à Vigilio opportuna oblata occaſione deſtitit: nempe cum Totilas ab eo filiam in matrimonium petiiſſet, & eo prætextu recuſaret ille, quod Vrbem caput Imperij deſtitutam hoſtibus relinquens, ſe ſumma gloria pariter ſpoliaret: factum eſt, vt Totilas ciues alio migrare iuſſos reuocarit in Vrbem, quam & nouis ædificiis muniuit & illuſtrauit. Sed hæc omnia Procopius pluribus. Idem vero inferius ſubdit, magno cum exercitu poſt Liberium Patricium miſſum eſſe Germanum, cum iam Totilas Siciliam inuaſiſſet. His addit, quod Sclauinus populus iterum, Iſtro tranſmiſſo, Illyricum & Thraciam deuaſtauit, & ſumma crudelitate in necem omnium incolarum ſæuiens, exaturatus humano ſanguine, præda ſpoliiſque onuſtus ad propria remeauit. Quæ autem per Germanum geſta ſint, anno ſequenti idem Procopius narrat.

XIV. Neglectis tamen his Iuſtinianus, quæ primo (vt decebat Imperatorem ſibi ſubditos ab hoſtium inuaſione defendere) curare debuiſſet, exagitatus prurigine quadam aliter ac mortuos ineundi certamina, obtentu firmandæ pacis Eccleſiæ, ſed re vera turbandæ: vt ſtabiliret, quæ de Capitulis Tribus, inſtigante, imo & ſcribente Theodoro Cæſarienſi, ſtatuiſſet; hoc anno (vt inferius dicetur) curauit, vt Mopſueſtiæ in Syria Synodus cogeretur: à qua Theodori eius ciuitatis Epiſcopi ante centum & amplius annos defuncti facta atque alia de eo monumenta cognoſcerentur. Porro homini in his omne ſtudium impendenti, & ob id in optimo Imperij regimine ſegeſcenti, illud fuit vetus prouerbium occinendum, *Non ſupra crepidam.* Dum enim amplius, quam par eſt, aures admouet occultis hæreticis, ſub prætextu cõſeruandæ fidei, & pacis in Eccleſia reintegrandæ, factioſorum ſtudiis inſeruit, ſacra dogmata in diſcrimen adduxit, inter Catholicos ſchiſma dirum innexit, & ipſum Romanum Imperium barbaris deſolandum reliquit. Queritur de his ſæpe Procopius, nempe de cura Reipublicæ Iuſtinianum redditum ſegniorem, nec ea qua antea ſolicitudine bellicas res curaſſe.

XV. Sed ad Vigilium redeamus, qui ſchiſmaticorum factione adeo vexabatur, vt à ſuis quoque clericis compluribus deſtitutus, ab eiſdem indigniſſime vrgeretur tum dictis, tum ſcriptis iiſdemque per Orbem vbique vulgatis, vt ſuas ad diuerſos (vt vidimus) cogeretur ſcribere apologias. Quamobrem quod in grauem dãnum vergere intelligeret totius Eccleſiæ vnitatis: hæcque diutius tolerare, patientiaque differre, nonniſi grauiora mala in Eccleſiam inferre cognoſcens: aduerſus deſertores clericos ſuos, qui in caſtris hoſtium militabant, cenſura Eccleſiaſtica ſibi agendum eſſe putauit. Collectis igitur, qui ibi tunc erant, Italiæ Epiſcopis, aduerſus eoſdem, præcipue vero Ruſticum & Sebaſtianum, eiuſmodi damnationis ſententiam a protulit, cuius fit mentio in Epiſtola Iuſtiniani ad Quintam Synodum:

XVI. *Vigilius Epiſcopus Ruſtico & Sebaſtiano.*

Diu vobis, Ruſtice & Sebaſtiane, canonibus & deceſſorum noſtrorum decretis congruentem vltionem inferre, pro Apoſtolica moderatione diſtulimus. Sed quia Doctoris Gentium in corde veſtri duritia (quod à nobis cum nimia triſtitia dicitur) verbà videmus impleta, quibus ait b: Neſcis, quia patientia Dei ad pœnitentiam nos adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ. Vt exceſſus veſtros ex pluribus paucos interim (in quantum poſſumus) deſignemus: venientibus nobis hic in regiam ciuitatem, tu Ruſtice dum aliqua nobis ignorantibus legeres, quæ hominem loci tui omnino legere non decebat, & plura committere diceretis, quæ etiam noſtram, ſi ea non prohibuiſſemus (quod abſit) opinionem atque animam lædere potuiſſent: dicente quoque de te nobis aliqua Paulo diacono, etiam te præſente, ſicut oportuit, & pro aſſiduitate, qua nobis à germano, quem dileximus, iungebaris, & pro eo, quod nos te ad Leuiticum prouexeramus officium, frequenter & ſecrete paterna monuimus charitate, vt ſi ea, quæ de te dicebantur, ex aliqua parte cognoſceres, à talibus temperares: ne, quia Dei cauſam indiſcuſſam non pateremur, qualibet ratione relinquere, canonicum per nos in te iudicium proueniret.

XVII. *Tu autem non ſolum admonitionem noſtram audire maleuolo ſpiritu noluiſti, ſed etiam (ſicut ſcriptum eſt c: Argue ſapientem & adamabit te: ſtultum, & odio habebit te. Et iterum d: Noluit intelligere, vt bene ageret: iniquitatem meditatus eſt in cubiculo ſuo) ad hoc malitia tua perducta eſt, vt noſtra admonitione contempta, in odium potius proſilires, & occaſionem quæreres, quatenus cauſa Capitulorum, id eſt, de dictis Theodori Mopſueſteni, eiuſque perſona, ſed & de Epiſtola, quæ ab Iba ad Marim Perſam perhibetur ſcripta, necnon & dictorum Theodoreti, quæ contra rectam fidem & Epiſtolam beatæ recordationis Cyrilli Synodicam ad Neſtorium cum duodecim capitulis, quam & ſancta Synodus Epheſina prima ſuſcepit, & beata Chalcedonenſis Synodus ad conuincendas Neſtorij veſanias in definitione fidei legitur poſuiſſe . . . . . quæ, te etiam inſtante, certum eſt flagitata: ita vt filiis noſtris Sapato & Paulo diaconis, ſed & Surgentio Notariorum Primicerio clamitares, dicens: Non ſolum nomen & ſcripta Theodori Mopſueſteni à nobis debere damnari, ſed & territorium eius ipſum, vbi poſitus eſt: & ſi oſſa eius euulſa quiſquam de ſepultura eiiceret, & cum eodem territorio incenderet, gratanter acciperes.*

c Prou. 9.
d Pſal. 35.

XIIX. *Et cum neceſſe eſſet, vt negotium, quod fuerat in iudicio noſtro perductum, te etiam quam maxime inter alios tam ſacrati ordinis, quam ſequentis conſentiente, ſententia finiretur (quod conſtat effectum) & quid de eodem Iudicato fieret, quomodo etiam in Palatio vt fratri noſtro Mennæ, ad quem ſcripſeramus, celeriter traderetur, inſtiteris, nulli habetur incertum: ita vt filio noſtro Surgentio Primicerio petenti ſchedam ipſam Iudicati noſtri, vt apud ſe pro loco ſuo ſecundum conſuetudinem retineret, per multos dies dare penitus noluiſſes, donec exemplaria per plurimos ſacerdotes ac laicos, ſed & per glorioſum virum Tyrannum Magiſtrum militum, abſque laicis in Africana prouincia deſtinares: quod in Eccleſia noſtra à diacono nunquam factum eſt: ac nobis etiam neſcientibus, eius exemplaria deſtinares.*

XIX. *Nam & ſabbato ſancto, quo ipſum, te (ſicut præfati ſumus) imminente, protulimus Iudicatum, in Eccleſiam ſeſſum proceſſiſſe, & communicaſſe, & officium tuum impleſſe cognoſceris. Nam & eodem die reuertens ab Eccleſia, coepiſcopo noſtro (quantum perhibet) Iuliano hoc diceres, quia melius fieri non potuit, quam quod factum eſt Iudicatum, & hortatoris, vt Deus oraretur, neque quod factum eſt, tolleretur: Quod etiam ſuccedente Dominico die Paſchæ, ſimiliter effeciſti: & diu in eadem perſeuerando ſententia, alios, vt Iudicatum noſtrum libenti animo ſequerentur, nihilominus hortabaris.*

XX. *Nam dum Antiochenæ Eccleſiæ Apocriſariis eiuſdem Iudicati exemplaria nos dare petentibus differremus, ſed hoc magis iuſtum eſſe prædictis Apocriſariis diceremus, vt à fratre noſtro Menna potius exemplaria peterent, ad quem à nobis videbatur fuiſſe prolatum: tu autem publica voce depoſceres, dicens Dominum Leonem ita de Epiſtola ſua diuerſis exemplaria deſtinaſſe, nos facere debere ſimiliter, aſſerendo quia metueres, niſi vniuerſitas Iudicati noſtri exemplaria de ſcrinio noſtro edita teneret, qualibet ratione poſtea forſitan celaretur.*

XXI. *Nam dum occaſionem inuentus ad Siciliam reperiſſes, & Iudicatum noſtrum, laudaſque eius, vbi etiam filij noſtri diaconi Primiceriuſque tecum manifeſtum eſt ſubſcripſiſſe, filiis noſtris Pelagio diacono, aliiſque dirigere voluiſſes pro cautela, ne ab aliquo inueniri forſitan potuiſſet, nobis etiam ignorantibus in membrana conſcriptum, & in breuitate quadruplicatum, & litteris conſcriptum minutiſſimis deſtinaſti. Nam & Vincentio ſecundæ regionis ſubdiacono iterum à nobis poſtea ad Siciliam directo per eum filio noſtro Pelagio diacono ſimiliter ſcripſiſti: ſed quia ita memoratus ſubdiaconus proſpere nauigauit, vt illum, qui in membrana ſcripta portauerat, præcedere potuiſſet: quantum nobis retulit, ea quæ in membrana ſcripſeras, Pelagius diaconus ipſo præſente recepit.*

XXII. *Ergo dum & te præ omnibus imminente prolatum fuerit Iudicatum, & tanta in eius Iudicati laude ſucceſſus per multum tempus ſcripſeris, feceriſve, vt nunquam te crederemus ab hac poſſe rectitudine deuiare: immutatum te ſubito poſt hæc quadam animi leuitate, vulgante opinione comperimus, & cum aduerſariis Eccleſiæ, qui contra Iudicati noſtri ſeriem nitebantur, & à nobis ſunt per Iudicati ipſius tenorem à communione ſuſpenſi, ſecrete tractare. & dum filius noſter diaconus Paulus ad Italiam diſcedere voluiſſet, poſtquam & ad eum peruenit, quod ſcandalum Eccleſiæ in communione adhuc noſtra poſitus ſecrete; & hic & in Africana prouincia, vbi antea defendendo & laudando Iudicatum noſtrum, eius exemplaria deſtinaſti: facere nitebaris: tunc tibi cœpit inſiſtere & dicere vt ſi verum eſſet, producere debuiſſes, quod tu conuictus celare minime potuiſti.*

XXIII. *Tunc vero memoratus nobis cœpit imminere diaconus, vt aut corrigeres ea ab his, quæ illicite faciebas, ſub noſtra præſentia clericorumque promitteres, aut certe petitionem aduerſum te, & varietatem tuam atque fallaciam ab eo factam, quam & præ manibus gerebat, debuiſſemus accipere: ad hoc es propria voluntate perductus, vt tactis Euangeliis ſacramenta præſtares, & verba tua à Notario ſcripta in noſtro teneantur ſcrinio, quibus inter alia legeris promiſiſſe, te numquam à noſtro penitus obſequio diſceſſurum. Poſtquam vero prior te Sebaſtianus pro ſolo ſcandalo faciendo (ſicut & initia ipſius venientis in Conſtantinopolim monſtrauerunt, & exitus peior edocuit) noſcitur aduenisſe, ita vt mox tui immemor ſacramenti, coniurationem inter vos contra ſtatuta canonum, nobis ignorantibus faciente, in apertum vterque prorumperetis ſcandalum.*

XXIV. *Sed vt tua, Sebaſtiane, non in quantum ſunt, ſed in quantum referre poſſumus, mala quæ feceris diuerſi cognoſcant, & iuſte te (nam magis tarde) canonicam aduertant ſubiiſſe ſententiam, ad tuæ ordinationis veniamus initia. Abſentibus filiis noſtris diaconis Anatolio atque Stephano, à nobis poſtulaſti, vt ad tempus pro implendo officio abſentium loco, diaconum te interim faceremus.* hæc cum Vigilius ingerat in Sebaſtianum ad tempus creatum diaconum, non accipias quoad ordinem, ſed potius quoad miniſterium, vt qui diaconus iam eſſet, miniſtrare loco diaconi Cardinalis permitteretur. Pergit vero Vigilius: *Quod ideo tibi ad præſens ſperanti conceſſimus, quia ante ordinationem tuam cautionem nobis propria voluntate legeris emiſiſſe, quam & teſtibus roboraſti, & tactis Euangeliis iuramentum corporaliter præſtitiſti, vt quidquid tibi à nobis pro Eccleſiaſtica vtilitate fuiſſet iniunctum, fideliter & ſine aliqua fraude complere: officium vero, locumque diaconi ſine aliquo vitio, ſine aliqua ſuperbia, ſine aliquo neglectu, donec reuerterentur diaconi memorati, aut quanto te tempore in Leuitarum voluiſſemus ordinatione miniſtrare, cum omni humilitate & ſtudio ſine neglectu modis omnibus impleturum: in eadem cautione rurſus adiiciens, quod ſi de his omnibus, quæ cum ſacramento, tactis corporaliter Euangeliis, promiſiſti, aliquid minus impleſſes, tunc à ſancta communione eſſes ſuſpenſus: ita vt ſi à die exceſſus tui intra annum pœnitentiæ noluiſſes colla ſubmittere, tu tibi anathema manu propria ſcribendo dixiſti. Tunc ergo ad præſens factus es ſub ea, quam ſperabas & pollicitus fueras, conditione diaconus.*

XXV. *Poſtea vero à nobis ad Dalmatiarum patrimonium mitteremus, ſummis precibus poſtulaſti: quod nos ſecuri, quia talem feceras cautionem, animo libenti conceſſimus. Qui tum in Salonitana vrbe pro ordinatione patrimonii aduenisſes (quantum ad nos poſtea multorum relatione perductum) illicitis te & à ſede Apoſtolica prohibitis ordinationibus miſcuiſti: & quos Honorius tunc prædictæ ciuitatis Epiſcopus contra conſuetudinem Romanæ vel ſuæ Eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ conſtituta ſacris ordinibus applicauerat, non ſolum prohibere penitus noluiſti, ſed nec nobis de hac cauſa ſcripto referre, vel quando Theſſalonica nobis occurreras, memor conſcientiæ tuæ ne verbo quidem ſuggerere voluiſti, & cum illis tanquam cum legitimo & rationabili ordine factis cupiditatis ſpiritu acquieviſti procedere, & eorum ſocius es communionis venalitate repertus.*

XXVI. *Iterum Theſſalonica ad Dalmatiæ patrimonii regendi cauſa te miſſus es: ex qua prouincia frequenter te auctoritate monuimus, vt non ante diſcederes, niſi omnes ſecundum pollicitationem tuam tam de Dalmatiarum patrimonio, quam de Prævalitano colligeres penſiones. Sed tu omnia prætermittens, ad Conſtantinopolitanam vrbem pro ſolo faciendo ſcandalo venire feſtinaſti, quantum & ſequens exitus declarauit. Relegens tamen Conſtituti noſtri ſeriem, quam de præfatis capitulis ad Mennam huius ciuitatis Antiſtitem dediſſe relegimus, in conſpectu diaconorum, ſubdiaconorumque, vel vniuerſorum clericorum publica voce laudabas, vt de cælo Iudicatum noſtrum ordinatum atque prolatum omnibus (ſicut præfati ſumus) clericis loquereris. Dicta vero Theodori Mopſueſteni aſſerebas te in Romana vrbe inter aliquos codices inueniſſe, quæ confirmabas omni execratione & blaſphemiis eſſe completa. Hæc dicendo, in noſtro obſequio, & in Eccleſia publice, & in Placidias officium diaconatus implebas.* erat locus ad Placidias, ſiue Palatium Placidiæ, vbi Vigilius Conſtantinopoli morabatur, prout Synodalia Acta declarant. ſed ſubdit hæc idem Vigilius.

XXVII. *Natiuitatis Chriſti Dei Domini & Saluatoris noſtri ſecundum carnem præterito anno dies aduenit, vocauimus te, quia ad nos, quæ ſupra meminimus te feciſſe in Dalmatiis, de recenti peruenerunt: & ſicut oportuit, diximus tibi: Secum illis, qui contra Apoſtolicæ ſedis conſtituta in ſacratis ſunt applicati ordinibus proceſſiſti, aut eorum te communioni (ſicut dicitur) ſociaſti: neceſſe nobis eſt, vt ſi nos Deus ad noſtram dignatur Eccleſiam reuocare, quæramus iſta, & veritatem manifeſtius cognoſcentes ſecundum canones vindicemus. Tu vero conſcientia tua reatu perterritus, quia contra Apoſtolica feceras conſtituta, occaſionem tibi diſcedendi, diſſimulans, requirebas. Nam cum te pro certo mandato cum Ioanne Epiſcopo & Surgentio Primicerio atque Saturnino Conſulario noſtro ad Mennam fratrem noſtrum huius ciuitatis Antiſtitem miſiſſemus: reuerſus in Placidias, multis præſentibus, & officium diaconi tu & Ruſticus ex more compleſtis. Et quando clementiſſimus Princeps dominus filius noſter, vt alia die ad Eccleſiam procedere deberemus: Referendarium deſtinauit: vt ei promitteremus, cum aliis diaconis & clericis nos tu & Ruſticus fuiſtis hortati. Nam & ad refectionem pariter in noſtra menſa ambo fuiſſe, ſimili ratione probabimini: ſed ſicut Iudas, poſtquam buccellam accepit, de traditione Domini cogitauit, ita & vos noctis horis pro concitando ſcandalo Eccleſiæ diſceſſiſtis.*

XXIIX. *Nos autem alio die mandantes vobis, vt aut procederetis, locum diaconi ex more complentes, aut à communione vos cognoſceretis fuiſſe ſuſpenſos: tu vero, Sebaſtiane, his, quos inter alios miſeramus, fratribus noſtris Ioanni & Iuliano Epiſcopis hoc (quantum renunciauerunt) dixiſti: Ego Iudicatum: quod Papa protulit, ſequor, ſi tamen in illis vendicat, qui contra Iudicatum faciunt. Nam & ſimili eis (quantum perhibent) ratione dixiſti, in tantum vt diceres ibi veniſſe Lampridium & Felicem monachos, qui noſtrum Iudicatum ſuſcipere noluerunt: & mandaſſe vos eis: Non poſſumus vos videre, quia vos aliam cauſam habetis, & nos aliam. Poſtea vero ad hoc nequitia veſtra peruenit, vt excommunicatis communicare contra canones ſuperbo præſumeretis ſpiritu: id eſt, memoratis, vel aliis quos pro hoc, quod contra Iudicatum noſtrum ſcripſerabat: per eiuſdem Iudicati ſeriem conſtabat iam à nobis communione ſuſpenſos, cui Iudicato (ſicut ſupra meminimus) vos acquieuiſſe & conſenſiſſe & communicaſſe, Catholica probant Eccleſia. Vnde conſtat vos ſecundum regulas canonum iuſte damnari. Definiunt enim canones; Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præſumpſerit: ipſe in ſe damnationem protulit. Item: Placuit vniuerſo Concilio, vt qui excommunicatus fuerit pro ſuo neglectu, ſiue Epiſcopus, ſiue quilibet clericus & tempore excommunicationis ſuæ ante audientiam communicare præſumpſerit: ipſe in ſe damnationis iudicetur protuliſſe ſententiam.*

XXIX. *Adiecistis etiam execranda ſuperbia, quæ nec leguntur, nec ſine ſui Pontificis iuſſione aliquando ordinis veſtri homines præſumpſerunt auctoritatem vobis prædicationis contra conſuetudinem vel canones vendicare, Epheſinæ primæ Synodi impugnationem & exprobrationem, ſed & beatæ recordationis Cyrilli, blaſphemias quoque contra IESVM Dominum noſtrum dictas ſimili defendentes inſania, & per omnes prouincias fallaciter ſcribentes nos aliquid commiſiſſe, quod reperiatur aduerſum definitioni ſanctæ Chalcedonenſis Synodi, quæ præcedentium ſe trium, id eſt, Nicænæ, Conſtantinopolitanæ atque Epheſinæ primæ concordat fidei Synodorum. Ita ergo*

cuncta

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſimpliciorum animas, qui veſtram malitiam neſcierunt, ſed tantùm à Romanis diaconis ſuſcipientes ſcripta, ſimpliciter crediderunt, ad tantum ſcelus operatio fallaciæ veſtræ peruenit ut humanus ſanguis in aliquibus locis intra eccleſiam (quod dici nefas eſt) funderetur: & omnem legem Eccleſiaſticam ſuperbo ſpiritu conculcare voluiſtis: ſanctarum quoque regularum conſtitutiones iniuriis affeciſtis, impia & quæ non ſunt loci ſequentiam iniuria per vniuerſas contra nos prouincias fallaciter iudicantes.

XXX. *Nuper etiam malis veſtris addentes peiora prioribus, dominum Leonem prædeceſſorem noſtrum in Theodori Mopſueſteni cauſa, quæ contra rectam fidem legitur ſcripſiſſe, conſenſum præbuiſſe atque firmaſſe, dato ſcripto ad Chriſtianiſſimum Principem dominum filium noſtrum, auſi fuiſtis aſtruere.* hæc enim & Facundus habet in ſuis citatis à nobis ſuperius ſcriptis. Sed pergit: *Abſit ergo quemlibet credere Chriſtianum, quod aliquid tale, quod contra rectam fidem à quolibet inuenitur ſcriptum, illius tanti præſulis ſanctitas ſuſcepiſſet: quippe, qui in vniuerſis epiſtolis ſuis & Neſtorium & Eutychetem vel eis ſimilia ſapientes pari legitur ſententia condemnaſſe. In quo nec niggato ſcripto etiam contra diuinas Scripturas non ſolùm Pontificibus multis, ſed etiam (quod dici nefas eſt) ipſi quoque Principi ſacrilegas iniurias irrogare tentaſtis, quatenus ignorantem Chriſtianum populum diabolica amplius deciperetis aſtutia.*

XXXI. *Hæc ergo ſuſtinentes per multa temporis ſpatia patientia ſacerdotali, reſecare diſtulimus, credentes vos forſitan reſipiſcere & ab illicitis temperare. Sed quia ſemel & ſecundo adhortatione noſtra per fratres noſtros Epiſcopos, id eſt, Ioannem Marſicanum, Iulianum Cingulanum, vel Sapatum filium noſtrum atque diaconum, nec non & per glorioſum virum Patricium Cethegum, & religioſum virum item filium noſtrum Senatorem, aliosque filios noſtros commoniti, noluiſtis audire, & neque ad Eccleſiam, neque ad nos reuerti (ſicut omnia facitis) voluiſtis deteſtanda ſuperbia: & ideo neceſſe nobis eſt in vobis canonice vindicare, ne videamur diuinarum Scripturarum increpationibus ſubiacere: Scriptum eſt enim a: Videbas furem, & ſimul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et ipſe Dominus, ac Saluator noſter dicit b: Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuum, quam totum corpus mittatur in gehennam. Et quoniam iſte intellectus magis de officiis Eccleſiarum vel proximis non recte agentibus & ſcandala in Eccleſiis mittentibus ſano ſenſu debet aptari: ſic & alibi nos admonet, dicens c: Oportet venire ſcandala, ſed væ illi, per quem veniunt. Et beatus Apoſtolus ſimili prædicat ratione d: Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant. Et iterum ſancta Scriptura nos commonet dicens e: Eiice peſtilentem de Concilio, & exiet cum eo iurgium.*

a Pſal. 49.
b Matt. 5.
c Matt. 18. Luc. 17.
d Gal. 5.
e Prou. 22.

XXXII. *Oportet ergo nos iam poſt tantas admonitiones in vobis, Ruſtice & Sebaſtiane, per auctoritatem B. Petri, cuius nos Dominus ſibi voluit vice ſeruire, regulariter vindicare: propterea ne ſi iam diutius differamus, omnis Eccleſiaſticus ordo ſoluatur. Ideoque (quod à nobis cum gemitu, ſed cum beati Petri auctoritate dicendum eſt) pro ſuprascriptis exceſſibus alienos vos à diaconi eſſe honore decernimus, & omni miniſterio officij Leuitici, prædictum vobis honorem auferentes, penitus ſubmouemus, nullam vlterius licentiam habentes, vt ex Leuitico nomine aut gradu aliquid facere præſumatis, vel ſub nomine diaconorum ſcribendo iterum D E I conturbetis Eccleſiam: quippe ex Apoſtolica auctoritate & Patrum regulis, contra quas multa ſpiritu ſuperbo atque irreligioſo feciſtis, vos olim dignos damnatione præſenti auctoritate deponimus. Et vt vniuerſi nos hæc pro loco, in quo nos Deus eſſe voluit, & auctoritate beati Petri Apoſtoli recte feciſſe cognoſcant: canonum conſtituta poſuimus, quæ ſancta Chalcedonenſis Synodus apud ſe relecta laudauit.* ſubiicit hæc ex Actis eiuſdem Concilij Chalcedonenſis.

XXXIII. *Aetius Archidiaconus relegit: Si quis presbyter aut diaconus ſuum contemnens Epiſcopum, à communione ſemetipſum ſuſpendit Eccleſiæ, & ſeorſum collectam facit & altare conſtituit, & nolit euocanti Epiſcopo conſentire, & noluerit eidem acquieſcere neque obedire, & primo & ſecundo vocanti: hunc omnino damnari, nec vnquam hanc curationem mereri, nec recipere eum poſſe honorem. Si autem permanſerit turbas faciens & ſeditiones Eccleſiæ per extraneam poteſtatem: tanquam ſeditioſum debere comprimi. Omnes reuerendiſſimi Epiſcopi clamauerunt: Hæc iuſta regula: hæc regula Patrum.*

Pariter ſtatuentes, vt ſi nobis viuentibus (ſicut optamus) ſub humilitate & manſuetudine canonice pœnitentes matrem recognoueritis Eccleſiam, competenter à nobis venia concedatur. Si vero (quod non optamus) ſub regulari pœnitentia ad matrem Eccleſiam conſueta diſtuleritis redire ſuperbia: Conciliorum in vobis, quorum regulas poſuimus, cenſura ſeruetur: vt nullus poſt tranſitum noſtrum contra Conſtitutum noſtrum, quod ex beati Petri, cuius locum licet immeriti gerimus, auctoritate proferimus, canonum regulas exequentes, in Eccleſiaſtico gradu audeat reuocare Ioannem, Gerontium, Seuerinum, Importunum, Ioannem, atque Deuſdedit, quos conſtat veſtræ coniurationis & conſpirationis eſſe participes: quos nos putantes bonos, militare Eccleſiæ, cui Deo præſidemus auctore, noſtro tempore feceramus, tamen vt & ipſi poſſint & diuerſi cognoſcere, de Subdiaconorum & Notariorum vel defenſorum officio præſenti ſe ſententia nouerint fuiſſe depoſitos, & nullum penitus in Eccleſia noſtra gradum vlterius detinere: niſi fortè (ſicut præfati ſumus), nobis in hac luce ſuperſtitibus, & ipſi pœnitentia canonica colla ſubmiſerint. XXXIV.

Felicem etiam monachum Afrum, qui Gilitano monaſterio dicitur præfuiſſe, & leuitate ſua atque inconſtantia congregationem eiuſdem monaſterij per diuerſa loca certum eſt diſperſiſſe, & veſtræ prauitatis incentor eſt, cum vniuerſis, qui eum vel voltam clerici vel monachi, quam laici poſt præſentia interdicta in aliqua veſtra ſe ſocietate polluerint, aut conſenſum conſiliumque præbuerint, regularem in his, quæ item ſuperius legitur, conſtituimus manere ſententiam: quatenus in his remediis ordine ſeruato canonico, nullus præſumat pacem, quam Dominus diligit vlterius Eccleſiæ perturbare. Præſentem autem ſententiam per Ioannem Marſicanum, Zacchæum Scyllacenum, Iulianum Cingulanum fratres & coepiſcopos noſtros, ſed & Sapatum atque Petrum filios noſtros diaconos, necnon & filium noſtrum Surgentium Primicerium Notariorum, atque Seruum D E I ſubdiaconum regionis primæ, necnon & Vincentium ſubdiaconum regionis ſecundæ noſtræ, cui præſidemus, Eccleſiæ, vobis noſcimur tranſmiſiſſe. hactenus Vigilij ſententia in ſchiſmaticos lata. XXXV.

Quamuis autem iſta hoc anno Conſtantinopoli à Vigilio Papa aduerſus ſchiſmaticos decreta fuerint, nequaquam tamen conflatum ſchiſma ſedatum eſt, ſed magis excitatum, vtraq; parte aduerſus ipſum commota, nimirum & capitulorum defenſoribus ob damnata Tria illa capitula, atque etiam ob non damnatos aduerſarios: & impugnatoribus Trium capitulorum, eo quod ſilentium ab ipſo Vigilio de illis eſſet indictum, vt diximus ſuperius ex verbis ipſius Vigilij in ſententia de Theodori Cæſarienſis damnatione relatis. Horrendum plane ſpectaculum reddebat cunctis ſpectantibus exorta, tribus ſimul ex aduerſo flantibus contrariis ventis, maris iſta tempeſtas, qua nauis illa, quæ typum gerit Eccleſiæ, agitabatur, Catholicis aduerſus Catholicos confligentibus, & ipſis etiam Romanæ Eccleſiæ clericis aduerſus ſuum Antiſtitem rebellantibus. Gratum id tantum fuit hæreticis, illis præſertim, qui mentito Catholico nomine, Orthodoxos inter ſe ſciſſos, ita contra ſe inuicem pugnare feciſſent. Ad tanta ſedanda diſſidia cum vnicum illud eſſet excogitatum remedium, vt vniuerſalis Synodus haberetur: quæ ſibi cõducere poſſent, Iuſtinianus parare ſolicitus, Mopſueſtenam Synodum agi curat: vt aliqua inde Patribus de damnatione Theodori Mopſueſteni facta olim afferret. XXXVI.

XXXVII. DE SYNODO MOPSVESTENA.

Hoc eodem igitur anno (qui vt dictum eſt) nonus poſt Conſulatum Baſilij numeratur. Mopſueſtiæ in Cilicia celebratur Synodus aduerſus Theodorum eiuſdem ciuitatis Epiſcopum centeſimum iam ante annum defunctum: vbi ab iis, qui conuenerunt, hoc actum, vt aduerſus ipſius Theodori acerrimos defenſores, è loco ipſo, vbi ſederat atque ſcripſerat, antiquæ proderentur memoriæ, ſi quæ de ipſo ibidem adhuc reliquæ eſſent.